

Johann Bacmeister

**Decanus Facultatis Medicae In Academia Rostochiensi Joannes Bacmeisterus,
Med. Doct. ... Ad Solemnem Actum Disputationis Inauguralis Quam De Febre
Quartana Eximius ac Literatissimus Dn. Georgius Wende, Stargardia Borussus ...
V. Augusti in Auditorio Maiori instituet ... vocat & invitat**

[Rostock]: Kilius, 1658

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730121151>

Druck Freier  Zugang



R.U.-med 1658 Bacmeister, Johann/C

DECANUS
FACULTATIS MEDICÆ

IN
ACADEMIA ROSTOCHIENSI
JOANNES BACMEISTERUS,

Med. Doct. Prof. P. & Poliater,
Suo & totius Collegii Medici nomine
Ad Solemnem Actum

DISPUTATIONIS INAUGURALIS

Quam DE
FEBRE QVARTANA


Eximius ac Literatissimus
DN. GEORGIUS WENDE, Stargardiã
Borusus, Medicinæ Candidatus,

pro
Summis in Medicinã Privilegiis & Insigni-
bus Doctoralibus legitime obtinendis,
Summo Archiatro auspice,
V. Augusti in Auditorio Majori instituet.

Magnificum Dn. Rectorem, omnium Fa-
cultatum Professores Excellentissimos, omnesque
omnium ordinum Cives Academicos, cæterosq; Medicinæ
& Medicorum Fautores, eã quã par est observantiã vocat & invitat.

Typis Hæredum NICOLAI KILII, Acad. Typ.
ANNO M. DC. LIIIX.




Artem Medicam omnium quas Mundus novit, tam ratione subjecti *Hominis*, quam *Finis Sanitatis* nobilissimam; insigni hac postrema Mundi senectâ infelicitate laborare, vel ex eo patet, quod à quovis ne minimum etiam; in habitu instructo pessime usurpetur. Olim quidem Abrotanum ægro non audebat, nisi qui didicerat, dare, nec quod Medicorum erat, alius quam qui revera Medicus promittere, ut apposite *Horat. l. 2. Epist. 1.* Hodie verò licet fabrilis Fabri tractent, Medicinam tñ. quivis exercere præsumit; inq; hac artiũ solâ evenit, *Plinio teste*, ut unicuiq; Medicum se profitenti, statim credatur, cum tñ. in nullo mendacio majus sit periculum: Facere namq; experimenta per mortes hominum intolerabile malum est. Hippocrates etiam sua ætate ea de re valde conquestus est quando *Lib. de Leg. Græc. inquit, πνεύων μὲν πασέων ἔδιν Ἰπποκράτους. Διὰ τὴν ἀμαθίαν τῶν πνευμένων αὐτῆ καὶ τὴν αἰκίαν τοῦ τοῖςδε κερνόντων, πολὺ ἂν πασέων ἢ δὴ τῶν πνευμένων ἀπολείπειται*, h. e. Medicina cunctarum artium est præcellentissima. Attamen tum ob inscitiam eorum, qui Medicinam faciunt, tum eorum, qui temerè hos judicant, plerumq; cæteris artibus postponitur. Et *Arnoldus Villa novanus in Proëm. Antidot.* satis prolixè idem repetit, artemque hanc cunctis pretiosorem existentem quosdam indisciplinatos ministros infœcundare & proditoriè sterilizare statuit. Quare rectè dixit, quicumq; *Plus Medicastrorum & Medicastrarum in Germania reperiri, quam Muscarum in Armenia; Quod ipsum, cum Nicolaus Marchio Ferratiensis credere nollet, Gonella jocularior ille famosissimus, autore Pontano, exemplo quodam sat jucundo testatum fecit. Quodam n. die festo ad limen templi primarii se sistens, fascia obvolutis cervicibus, vultuque ad morbum cõposito, dentium dolorem simulabat, atq; aliquid remedii mitigando dolori implorabat. Ibi nemo non ex numerosissima multitudine fomenta præscribebat, ac quid dolorem confestim discutere posset, confidenter profitebatur. Quibus peractis, Catalogum eorum, qui contra ὄδον & λήαν Medicinam sugg-*

suggestissent, confecit, illumq; Marchioni ostendit: quo per-
lecto plus quam trecentas personas medicinam contra illū cru-
ciatum suggerentes à Gonella consignatas reperit, atq; sic nul-
lam præ Medicorum turba numerosiorem in Civitate esse affir-
mare coactus est. Eandem si hodie quispiam ludere Comœdiã,
vel hoc in loco attentaret, proh Deum immortalem! nulla do-
mus certè extaret, cujus incolæ rerum Medicarum se planè ru-
des ac imperitos esse sibi persuaderi paterentur. Non tantum n.
Pharmacopœi, Destillatores, Balneatores, Unguentarii, Her-
barii & similes Medicorum ministri ac subsidiarii: Verum &
Parochi *πλοπέλαγμορες*, juris Apostatæ, Pædagogi *δοξόσοφοι*, Sten-
torii Circulatores, Crumentulgi Agyræ, Experimentores
Empyrici: imò quod maxime detestandum ac deplorandum,
Moniales & Vetulæ edentulæ, omnesq; flagitiosi liguritores,
alea luxuq; exhausti, ad restim redacti, & ut Ennius habet,

Superstitiosi vates, impudentesq; harioli,

Aut inertes aut insani, aut quibus egestas imperat,

Qui sibi semitam non sapiunt, --- --- --- aliuq; innumeri Logo-

dædali, in melle Medicinæ falcē suam immittunt intrepide, &

--- --- --- --- tangere venas,

Nonnunquam illicitas audent, & ponere quedam

Non intellectus temeraria nomina morbis, atq; astu ac phalerato

sermone imprimis simpliciore pectore dotatos circumveniūt,
ac temeraria inscitia in hominum vitas ac corpora grassantur,
atq; ut habet proverbium, in vasis jactura artem figulinam ex-
periuntur, h. e. interprete Plinio, hominum periculis discunt,
& per experimenta fallacia ac conjecturas mortem hominibus
inferunt, parum curantes. quod in Hominem, ipsissimam Dei
imaginem usq; ad eò crudeliter sæviant, dum quid vis pro quo-
vis sine discrimine ægris obrudunt, non aliter ac illi, aleam
qui jaciunt, expectantq; jactu quod cadit; cum tn. in homine
nihil tentare liceat, nisi experientia suffulcum & Ratione prout
hoc ipsum Euripides in Belloph. sequētib; monere voluit, ubi

πρὸς τὴν νόσον τοὶ καὶ τὸν ἰατρὸν χρεῖται
 ἰδοὺ ἀκείδαι μὴ πικρὰ φάρμακα,
 Διδόν' ἐὰν μὴ ταῦτα τῇ νόσῳ πρέπη. h. e. Ad Morbi na-

turam Medicum quoq; oportet respicientem mederi, non im-
 perita pharmaca exhibendo, nisi morbo conveniant. Generalis
 propterea à veteribus constituta Lex est *Quam quisq; artē
 novit in hac se exerceat.* Hanc si in benè constitutis Rebus-
 publicis omnium ordinum homines attentig observarent, non
 tantæ confusiones sæpius excitarentur, non tanta redundarent
 damna in publicum. Cum a. in ædibus extruendis architectum
 deligamus solertem atq; industrium; in dirigendâ nave nau-
 clerum expertissimum; in bello gerendo Duces exercitatos ac
 strenuos; in mente instituendâ formandisq; moribus Modera-
 torem optimum: Cur in Morbis expugnandis, in faciendâ tu-
 endaq; sanitate triobolares Cireũforancos ac deliras anus ad-
 mittimus? quibus corpus nostrum trucidandum exponimus,
 animiq; domicilium diruendum offerimus. Recte itaq; ex Te-
 lete Stob. f. 38. si optimo, inquit, Medico omisso, pharmacopolam elegissent,
 eiq; comississent publicè medendi opus, utrum dices opprobrium istec Medici & infortu-
 nium, an eorum qui elegerunt. Hinc iubente Marcello carm. d. Medicinæ

*Ne fellare vide, neu quæ sunt parta salutis,
 Vergat in exitium non solers cura medentis.
 Sume igitur Medicos pro tempore proq; labores,
 Et atiq; habita, summa ratione paratos.*

ἰατροὶ namq; Φήμη μὲν πολλοὶ: ἔργῳ δὲ πᾶσι Βασιδὶ. h. e. Medici nō-
 mine quidem multi, re pauci admodum. Nec pejorem malō
 Medico morbum habet Pandora vasculum; quiq; principum
 Medicinæ ignorat, ut sanum ægrum reddat, necessum est. Qua-
 re & jura publica & Leges Imperatoriæ à Rebus publ. exterminant,
 qui absque testimonio publico temerariè titulum Medici
 sibi ipsis tribuunt, & Medicinam facere absq; artis habitu præ-
 sumunt. Infames tales esse voluit Impostores sancta vetustas,
 quamvis Vespilliones hi non admodum de infamia vereantur,
 cum

cum quæstui solum Medicinam habeant, & proscriptio ab illis
be illis familiaris sit. Canones quoque arcent severè à Medici-
nâ exercenda Clericos, dum prohibent, ne Clericus purgationi
operam præstet, nec ullam chirurgiæ artem Subdiaconus, Dia-
conus vel Sacerdos exerceat. Nec Leges Civiles & Constitu-
tiones Imperii ad talem audaciam constringendam silent,
sed in hæc artis propudia & dehonestamenta animadverti ju-
bent: Magistratusque officium flagitat, severè serioque inquirere,
ac delinquentes sine discrimine ac respectu ad commeritas pœ-
nas vocare, & cavere, ne delicta mancant impunita, nec malefe-
riari & scelerosi grassatores liberis civium capitibus impunè il-
ludant. Nec iniquum etiam videtur, si infirmitas (imò inscitia) culpæ adname-
retur, cum affectare quisquam non debeat, in quo intelligit, vel intelligere debet, in-
firmitatem suam alteri periculosam futuram, dicebat Gajus J Ctus L. IIX.
D. ad L. Aquil. & Persiusfat. §.

— Secretam gannit in aurem,

Ne liceat facere id, quod quis viciaret agendo.

Quamvis autem eventus mortalitatis Medico imputari non debeat, si nihil
eorum intermiserit, quæ ex artis præscripto & medendi me-
thodo præstare potuit, aut debuit: Quicquid tñ. per imperitiam commi-
sit, imputari ipsi omnino debet, inquit Ulpianus, nec prætextu humana fragili-
tatis delictum decipientis in periculo hominis innoxium esse. L. illicitas. VI. §. sic-
uti D. de officio præfidis. Et jam olim actio in tali casu data est
in Medicum quendam, ut refert Galen. 1. Prognost. in principio.
& merito. Si enim pecunia tantum periclitaretur, sarciri damna
possent, nunc ludunt in tali discrimine, ubi si quid secus accidit,
neque corrigi peccatum, neque sarciri jactura potest. Quid nri reli-
quum est homini amisâ vitâ? Ac tamen si, qui ita peccant non
plectantur pœnâ ordinaria Legis Corneliæ de Sicariis, quæ in
eos statuta est, qui dolo interficiunt: Extra ordinem tñ. pu-
niuntur, non corporali aut capitali pœnâ, nisi circumstantiæ
suadeant pœnam exasperandam, sed arbitrariâ, pro facti & circum-
stantiarum adeoque damni dati ratione, quaesito etiam prædentum consilio, ut ha-
ben

bent verba Caroli V. Imp. Constit. Criminal. artic. 34. Ad evi-
tandum autem hoc incommodum Imperatorum ac Pontificum
sanctionibus nemini libertas exercendi artem hanc nobilissi-
mam concessa est, nisi qui à peritis Medicinæ in Scholis Regiis
publicum artis & eruditionis suæ testimonium sit consecu-
tus, juramentoq; satis gravi obstrictus, ne velit cuiquam min⁹
nota remedia propinare, vel aliàs noxa concedere. Quâ in re
licet abusus non levis irrepserit, suum non facientibus semper,
qui Collegiis Medicis in Academiis præsent, prout hujus rei Bas-
sianus Landus Placentinus, Medicus & Philosophus summus
lepida historiam narrat; suo tempore Germanum quendam
in Italia omnium Medicorum calculis à laurea, quam petebat,
ignorantiæ causa rejectum, unius Senis oratione eam assecutū
fuisse, quod is exoptatissimam hanc vindictæ de Germanis, qui
Maximiliani I. auspiciis agrum & urbem Patavinam hostiliter
vastassent sumendæ rationem esse diceret, si blandos sicarios,
medicorum larvâ tumentes submitterent, qui non Urbes sed
homines, non plebeos sed nobilissimos quosq; suâ imperitiâ
medio tollerent. Attamen propterea optimæ veterum consti-
tutiones non omninò juxta frivolum nonnullorum sciolorum
judicium abrogandæ, & quivislibet ad Medicinam faciendam
absq; testimonio publico in Civitatibus admittendi. Stultum
est Consilium, propter abusum alicujus rei rem ipsam alias uti-
lissimam tollere. Ignis si imprudentem ac propius accedentem
lædat, vel ex incuriâ flamma altius ascendat, testumq; confla-
gret, non propterea omninò removendus, quod abutenti noxi-
us fuerit, cum nemo hominum carere illo vel uno die possit.
Abusus removeatur, maneat usus. Irrepunt aliàs plus quam fa-
tis in Respubl. Pseudo Medici, ne opus sit, abrogata laudatis-
sima consuetudine Testimonii publici unicuique Imposteri fe-
nestram temeritatis & nequitix aperire. An non igitur magna
Medicinæ infelicitas est, quod adeò temerè à quovis usurpetur
Margaritas si amica luto sus rostro circumagitet, in volutabro
suo

suo, egregiumne spectaculum? Simia si pictoriam exercere instat Apellis gestiat, eximiumne opus efficiet? Tantum abest, ne rei depingendæ similitudinem ob oculos ponat, ut etiam absurdissimam effingat picturam. Puer bombardam aliaq; arma si tractet, nonne sibi ipsi aliisve noxius esse facile potest? Nonne ipsa corrumpere & deformare arma? Quapropter omnibus modis detestanda pessima nostri temporis consuetudo, quia indifferenter quilibet Medicinam usurpare satagit, misereque eam detorquet, deformat & male usurpando in perniciem proximi adhibet, nec unquam cogitat, quam sit temeritas periculi plena, in artem eamq; sacram, sine doctrinâ, sine iudicio, absq; conscientia impudentèr temereq; irrumperet. Sed missis his calamitatibus, extraq; artis nostræ sanctissimæ pomeria reiectis, laudandi potius & iuvandi conatus eorum, qui arti Medicæ eam curam ad diligentiam multis annis locarunt, quam Professio hæc in primis erudita & ardua unicè requirit; qui publice docentes audiendo, privatim Medicorum Principes legendo & meditando tantos in ea fecerunt progressus, ut eam cum laude exercere, & suorum laborum præmia accipere meritò possint. Fecit hoc ipsum hætenus satis fideliter Præstantissimus ac Literatissimus Dn. GEORGIUS WENDE, Stargardia Borussius, Medicinæ Candidatus, prout ipsius vita, & studiorum curriculum abunde testantur, de quibus quæ accepimus, hic, ut receptæ consuetudini morem geramus, expromimus.

Natalis ipsi locus Stargardiz in Borussia Anno M. DC. XXXV. fuit. Patre GEORGIO WENDE, ProCoS. illius civitatis; Matre ANNA SCKAWERIN. Hi parentes infantem educarunt; cumq; eò ætatis pervenisset, ut literis aptus videretur, in ædibus suis, Præceptoribus privatis commiserunt. Vix decimum egressus fuerat annum, & utrumq; parentem fatali necessitate ex hac vita ereptum viderat: Consilio ergo amicorum consanguineorum apud Jesaitas Choyneci prima fundamenta jecit. Anno M. DC. L. Regiomontum venit M. CONRADI NEUFELDIÏ domesticæ inspectioni Scholasticæq; informationi datus: Is præter humaniora principia quoque Philosophiæ perdocuit. Anno M. DC. LIII. incipiente & decimum octavum annum ingredien-

te, pri-

16K

es, primum annum Academicum Regiomonti numerare cepit Praeceptores
M. ALBERTUS LINEMANNUS, M. MICHAEL EIFLERUS, Philosophi
aderant; quorum privatas publicasq; Lectiones frequentavit. Sub Medicis vero
D. DANIELE BECKERO, D. CHRISTOPHORO TINCTORIO, D. JO-
HANNE LOSELIO, tyrocinia Medicinæ posuit. Primo anno præterlapso
Wittebergam se contulit. Studio medico magis jam addictus D. MARCUM
BANZERUM, D. CONRADUM VICTOREM SCHNEIDERUM, D. MI-
CHAELEM SENNERTUM Medicinæ, Physicæ vero celebrem JOHAN-
NEM SPERLINGIUM Duces habuit. Hafniam videre Anno M. DC. LV.
placuit, ut Cl. BARTHOLINI dexteritatem in secundo videret, eruditionem
vero & humanitatē admiraretur. Cum D. SIMONE PAULI excursionem dum
Hafniæ literis incumbit, instituit. Hafniâ Leydam petere constituit.
Anno M. DC. LVI. Amstelodamum venit, ubi dulcis ipsi familiaritas cum Cl.
D. GUILHELMO PISONE rerum naturalium studiosissimo intercessit. Inde
tamen Leydam tendit. Illic ADOLPHUS VORSTIUS pro maxima sua in re
herbaria peritia, quidquid exoticorum Hortus aiebat Academicus, demonstravit.
Practicam Medicinam publice & privatim ab ANTONIDA van der Linde hau-
sit. JOHANNIS van Horne, præter publicas lectiones, sectionem quoq; pu-
blicam vidit. Proximè qui præcedebat insolitam hyemem mense e Belgio in
Patriam a suis vocatus venit. Gedani cum viveret tempore hyemis Cl. Chy-
mico ANDRÆ CNEFFELIO frequenti vilitatione se junxit; quantum qui-
dem exiguo illi tempore licuit. In Italiam cogitationes suas tunc verterat, qui-
bus tñ, mutatis Regiomonto almam hanc Rostochiensem invisit, nostramque
Facultatem adiit, & summos in Medicina gradus sibi conferri petiit, sed antea
mèritos, & honestè ambitos. Honesto petito locum dantes, eum ad rigoro-
sum Examen admisimus, publiceq; hic testamur, eum nostrum votum & desi-
derium implevisse. Faciet Candidatus ipse fidem V. Mensis Augusti die, quo
se in Auditorio Majori horis ante & pomeridianis ad publicum examen sistet.
Elegit arduam quidem in Praxi vero frequentissimam materiam de FEBRE
QVARTANA, dignam certe de qua post tot eruditorum volumina dissertaret.
Ego Magnificum Dn. Rectorem, Excellentissimos Dn. Professores, Doctores,
Licentiatos, Verbi divini Ministros, Nobilissimos Dn. Studiosos, eo quo par est
modo; reverenter, officiosè & humaniter rogo, & invito, prædicto die hora
IX. matutina solenni Disputationi interesse, & honorifica sua præsentia Actum
hunc Inauguralem & solennem magis conspicuum reddere non graventur.
Quod si fecerint, cum Dn. Candidatum tum Ordinem nostrum magno benefi-
cio maclabunt; dabimusque operam, ut nos memores & gratos experiantur,
P. P. Rostochii, sub Sigillo Facultatis Medicæ die XXV. Julii,
ANNO M. DC. LVIII.

suo, egregiumne spectaculum? Simia si pictoriam exercere in-
 star Apellis gestiat, eximiumne opus efficit? Tantum abest,
 ne rei depingendæ similitudinem ob-
 furdissimam effingat picturam. Puer bo-
 tractet, nonne sibi ipsi aliisve noxius e-
 ne ipsa corrumpere & deformare arma
 modis detestanda pessima nostri tem-
 indifferenter quilibet Medicinam usu-
 cam detorquet, deformat & male usur-
 ximi adhibet, nec unquam cogitat, quæ
 plena, in artem eamq; sacram, sine docti-
 conscientiâ impudentèr temereq; irrita
 calamitatibus, extraq; artis nostræ fa-
 ctis, laudandi potius & juvandi conatus
 eam curam ad diligentiam multis annis
 sio hæc imprimis erudita & ardua unice
 docentes audiendo, privatim Medicinam
 & meditando tantos in ea fecerunt pro-
 de exercere, & suorum laborum præ-
 sint. Fecit hoc ipsum hæctenus satis fa-
 ac Literatissimus Dn. GEORGIUS
 Borussius, Medicinæ Candidatus, pro-
 rum curriculum abunde testantur, de-
 hic, ut receptæ consuetudini morem
 Natalis ipsi locus Stargardiz in Borussia Anno
 GEORGIO WENDE, ProCoS. illius civitati
 RIN. Hi parentes infantem educarunt; cumq;
 aptus videretur, in ædibus suis, Præceptoribus
 cimum egressus fuerat annum, & utrumq; paren-
 ta ereptum viderat: Consilio ergo amicorum
 Choyneci prima fundamenta jecit. Anno M.
 M. CONRADI NEUFELDIi domesticæ inspe-
 tioni datus: Is præter humaniora principia quæ
 Anno M. DC. LIII. incipiente & decimum

